



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita
accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum
notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum
Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 133. Vtrum, & quo pacto Angeli assumant corpora.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

& supra vltimam spheram alias Intelligentias non mouentes vllam spherā, earūque numerum à nobis determinari non posse. Immo vt ex Augustino Eugubino lib. 4. de perenni philosophia, c. 2. bene notat Vasquez 1. par. disput. 180. c. 1. nū. 1. Aristoteles expresse lib. 1. de cælo c. 100. cum docuisset extra, seu supra cælū non dari, neque dari posse vllum corpus, adeoque neque locum, neque vacuum, neque tempus, concludit, quod quæ sunt extra, seu supra cælum, neque sunt in loco, itā vt aliquid patiantur à loco, neque sunt in tempore, itā vt tempore senescant, vel aliquid patiantur à tempore, neque patiuntur vllam transmutationem, siquidem sunt supra motum cœli, à quo oriuntur omnes transmutationis, sed sunt inalterabilia, & impassibilia, atque habent vitam optimam, & per se sufficientissimam, in eaque perseverant toto æuo; sed non alia entia possunt esse supra vltimum cælum, & vltimam spheram habentia vitam optimam, & sufficientissimam, quam Intelligentiæ; ergo Aristoteles vltimā Intelligentiā motrices degentes in spheris cælestibus, quæ Intelligentiæ sunt pauca, & tot, quot spheræ, ponit alias supra cælum, quarum numerus determinari non potest à nobis. Verba Aristotelis sunt. Quapropter neque quæ illic sunt, nata sunt in loco esse, neque tempus facit ipsa senescere, neque vlla transmutatio vllius eorum est, quæ super extrema disposita sunt latrone, sed inalterabilia, & impassibilia optimam habentia vitam, & per se sufficientissimam perseverant toto æuo.

17. Ad 2. nego antecedens: nam dictum est intelligibilitatem naturalem mundi esse rationem, propter quam species Angelorum debent solum multiplicari vsque ad certum numerum, hoc est vsque dum perueniatur ad Intelligentiam, quæ adæquet intelligibilitatem naturalem mundi.

18. Ad 3. respondeo primo, distingo antecedens: ex hominibus prædestinatis reparandæ sunt ruinæ Angelorum, substituendo singulis Angelis singulos homines, nego; substituendo collectioni Angelorum, qui ceciderunt, collectionem hominum prædestinatorum, concedo; transeat minor, & nego consequentiam. Ad hoc, vt ruinæ Angelorum reparentur ex hominibus prædestinatis, sufficit, vt collectioni Angelorum, qui ceciderunt, substituaturs collectio hominum prædestinatorum, licet non singulis Angelis correspondant singuli homines, sed homines prædestinati sint pauciores Angelis, qui ceciderunt.

19. Respondeo secundo, concedo antecedens, quod nimirum ruinæ Angelorum reparandæ sint ex hominibus prædestinatis, substituendo singulis Angelis singulos homines; ac cum pluribus auctoribus negando minorem, quod nimirum ceciderit tertia pars Angelorum. Apocal. 12. dum dicitur, prælium magnum factum in cælo, ac draco traxisse tertiam partem stellarum, non est sermo

de prælio facto in cælo empyreo inter bonos, & malos Angelos, sed de prælio facto in cælo ecclesiæ inter demones, & homines fideles, in quo prælio draco traxit tertiam partem stellarum, hoc est hominum, qui cum in hoc cælo ecclesiæ lucerent sicut stellæ, ceciderunt, vt explicat Richardus lib. 4. in Apoc. nec non Glossa, & Lyrannus in eum locum. Cæterum Dionysius Carthusianus in cap. 14. S. Dionysij de cælesti Hyerarch. refert S. Birgittæ fuisse reuelatum ita esse plures Angelos, quam homines, & vnique homini possint in custodiam assignari decem Angeli. Cum autem iuxta opinionem receptam soli Angeli vltimi chori regulariter assignentur in custodiam hominum, sequitur Angelos bonos vltimi chori esse decies plures, quam homines; sed proportionaliter, ac cœli superiores excedunt in quantitate continua cœlos inferiores, Angeli superiorum chororum excedunt in numero, seu quantitate discreta Angelos chororum inferiorum: ergo sequitur Angelos esse incomparabiliter plures hominibus.

QVÆSTIO CXXXIII.

Utrum, & quo pacto Angeli assumant corpora?

S. Th. quæst. 51. art. 2.

1. **V**idetur, quod Angeli verè non assumant corpora, quia in opere Angelis, sicut in opere naturæ nihil est superfluum; sed superfluum esset, vt Angeli assumerent corpora, cum illis non indigeant: ergo.

2. Secundo si probaretur Angelos assumere corpora, probaretur ex apparitionibus, quibus in Scripturis narrantur apparuisse; sed ex talibus apparitionibus non probatur; ergo. Probat minor: possumus enim dicere tales apparitiones factas fuisse per hoc, quod imaginatio, vel sensus ita fuerint immutati, vt viderentur sibi videre corpora, quæ non erant, vt accidit in somnis.

3. Tertiò Damascenus lib. 1. de Fide, cap. 4. loquens de apparitionibus Angelorum dicit. *Permissione autem Dei facta, & fortitudinem habent, & transferuntur, & transformantur in quam volunt figuram, secundam phantasiam, hoc est imaginationem;* ergo existimat apparitiones Angelorum esse phantasticas, & fieri per immutationem imaginationis, seu phantasie.

4. Quartò Lamiæ, quæ referunt se multa vidisse, & peragrasse varias partes terræ, solum secundum imaginationem, & phantasiam illa omnia vident, vt docet Concilium Aquirense relatum Can. Episcopi, qu. 5. ergo idem dicendum de apparitionibus demonum, & Angelorum.

5. Quintò si Angeli assumerent corpora, deberent illis vniri, non quidem vnione substantiali, vt anima corpori: nam vt dictum est

est quaestione 128. non sunt forma vllius corporis; neque vnione hypostatica, eo pacto, quo Verbum vnitum est humanitati; ergo deberent vniri accidentaliter, eo pacto, quo motor vnitur mobili; sed vt assumant corpora, non sufficit, vt illis vniantur vt motores mobili, alioquin Angeli assumerent omnia corpora, quæ mouent; ergo.

6. Respondeo apparitiones Angelorum, ac dæmonum posse fieri tribus modis. Primò per immutationem phantasie, siue imaginationis, per quam videamur nobis videre Angelos, vel dæmones sub aliqua figura corporali, licet extrà imaginationem non detur talis figura corporalis, vt sæpè accidit in somnis. Secundò per immutationem visus, vt accidit in præstigijs, & vt aliquando fit in phreneticis, ita vt visu videantur sibi videre Angelum, vel dæmonem sub figura corporali. Tertiò per hoc, quod Angelus, vel dæmon formet sibi, & assumat aliquod corpus, quod appareat visui, quo percipitur. Aliqui, quos tacito nomine refert Sanctus Thomas prima parte quaest. 51. artic. 2. existimarunt Angelos, & dæmones apparere solum primo, & secundo modo, & nunquam videri in corporibus verè ab ipsis assumptis, nec habere virtutem assumendi corpora. Hanc autem sententiam sequutus est Vldaricus in summa lib. 4. vt refert Carthusianus in 2. dist. 8. q. 1.

7. Dicendum cum sententia communi: Angeli, ac dæmones apparuerunt non solum per immutationem imaginationis, & sensus, sine corporibus verè assumptis, sed etiam per corpora verè assumpta. Docuerunt hanc sententiam S. Thomas prima 2. quaest. 1. artic. 2. S. Bonau. in 2. dist. 8. 1. par. dist. art. 2. qu. 1. & 2. & eadem dist. Richardus artic. 1. quaest. 2. Scotus quaest. 1. Durandus quaest. 1. Gabr. q. 1. artic. 2. Maior quaest. 6. artic. 2. Alex. 1. parte quaest. 34. memb. 2. & 3. Albertus 2. parte tract. 9. quaest. 33. membr. 2. & alij, quos referunt, & sequuntur Suárez lib. 4. de Angelis, cap. 33. & Vasquez 1. parte disp. 184. cap. 1.

8. Probatur primò ex ratione fundata in Scriptura. Vt enim aduertit S. Thomas hac quaest. 51. artic. 2. quæ apparent alicui per immutationem phantasie, vel sensus, illi soli apparere solent, & non videntur communiter ab alijs; sed legitur in scripturis Angelos ita apparuisse, vt ab omnibus communiter sine visu: ergo apparuerunt in corporibus verè assumptis, & non per solam immutationem imaginationis, aut sensus. Probatur minor: nam Gen. 18. tres Angeli apparuerunt Abraham in figura trium virorum, qui ab omnibus adstantibus visi sunt, illisque Abraham pedes lauit. Gen. 19. duo Angeli venerunt Sodomā in figura peregrinorum, & ab omnibus ciuibz visi sunt. Raphael per multum tempus visus est à Tobia in specie viri, qui ab omnibus indifferenter videbatur, aut audiebatur; ergo & c. Confirmatur: nam Gen. 3. dæmon in paradiso apparuit Eue sub corpore serpentis;

sed erat contra perfectionem status innocentie, vt primi parentes ante peccatum patrentur à dæmone illusiones sensuum, & imaginationis; ergo dæmon verè assumpsit corpus serpentis. Rursus Satan apparuit Christo Domino, eumque tentauit; sed Christus non poterat à dæmone pati illusiones sensuum, & imaginationis; ergo & c.

9. Probatur secundo ex Patribus. S. Augustinus 15. de Ciuitate, cap. 23. dicit: apparuisse hominibus Angelos in talibus corporibus, vt non solum videri, sed etiam tangi possent, eadem verissima Scriptura testatur. Idem docet lib. 2. de Ciuitate per totum, & lib. 3. ab initio ad cap. 10. Damasc. lib. 2. de fide cap. 3. dicit de Sanctis Angelis. Probis, ac virtute præstantibus hominibus, quibusque eos conspiciendi sui copiam facere Deus voluerit, non quales sunt, apparent, sed aliam, atque, aliam formam, prout videri ab omnibus possunt, assumunt, solidamque speciem ex caelesti elemento induunt, per quam hominis obutibus manifestius deteguntur. Idem docet Gregorius Hom. 34. in Euangelia, & alij, quos referunt Suar. & Vasq. locis citatis.

10. Infertur apparitiones, quibus Angeli visi sunt in somnis, fuisse phantasticas; apparitiones autem, quibus vigilantibus narratur apparuisse in Scripturis, fuisse reales in corporibus assumptis, vt cum Gen. 19. apparuerunt Sodomitis sub specie duorum peregrinorum, Gen. 32. venerunt obuiam Iacob, & eorum vnus cum Iacob luctatus est; in lib. Tob. Raphael apparuit Tobie: Luca 1. Gabriel apparuit B. Virgini; Act. 1. & 12. Angeli apparuerunt & c.

11. Posito, quod Angeli assumant corpora, quaeritur, quo pacto illa assumant?

12. Certum est primò, quod non assumunt corpora per informationem substantialem, ita vt cum illis vniantur, eo pacto, quo anima rationalis vnitur corpori humano. Nam vt dictum est quaest. 28. Angeli non sunt forma substantialis vllius corporis.

13. Certum est secundo, quod non assumunt corpora, ita vt illis hypostaticè vniantur, eo pacto, quo Verbum diuinum vnitum est corpori, animæ, ac toti humanitati Christi domini. Nam saltem de facto non datur alia vnio hypostatica, quam per quam Verbum assumpsit humanitatem Christi, vt docent cõmuniter Theologi. Hinc reiiciendus est Origenes, qui tom. 2. in Io. in illa verba Ecce ego mitto Angelum meum, docuit Malachiam fuisse Angelum incarnatum, idemque asserit de S. Ioanne Baptista, ac de Aggæo Propheta. Eundem errorem insinuat Tertullianus, dum libro de resurrectione carnis, cap. 3. ex eo probat non fuisse impossibile Deo carnem assumere, quia id fuit possibile Angelis. Deceptus fuit Origenes ex eo, quod Malachias, Aggæus, & Ioannes Baptista, vocantur Angeli. Sed dicendum, quod vocantur Angeli non natura, sed ministerio. Nomen enim Angelus significat nuntium: Malachias autem, Aggæus, & Ioan.

& Ioannes fuerunt nuntij à Deo missi.

14. Dicendum igitur cum S. Thoma articulo 2. ad 2. quod Angeli assumunt corpora per vnionem accidentalem, qua vniuntur illis vt motores mobilibus factis ad representandum motores, eorumque proprietates. Angeli nimirum formant sibi corpora sensibilia apta ad representandas proprietates intelligibiles ipsorum, & dum illis vniuntur accidentaliter, talia corpora dicuntur assumere. Hinc redditur ratio, quare licet Angeli motores vniantur accidentaliter corporibus celestibus, non dicantur illa assumere. Ratio est, quia non vniuntur illis vt factis ad representandas proprietates intelligibiles Angelorum. Ex eadem ratione demones non assumunt corpora energumenum, licet illis vniantur vt motores.

15. Ad 1. nego minorem. Licet Angeli non indigeant corporibus propter se, corporibus indigent propter nos, vt familiariter conuersari possint cum hominibus, & sic representent intelligibilem societatem Angelorum, & hominum in vita futura. Addit S. Thomas in resp. ad 1. Angelos in veteri testamento corpora assumpsisse, vt saltem imperfectè figurarent Verbum diuinum assumpturum corpus humanum per vnionem hypostaticam, & sic in carne appariturum hominibus.

16. Ad 2. nego minorem, eiusque probationem. Ostentum est enim multas apparitiones Angelorum non fuisse per solam immutationem visus, vel imaginationis, sed per assumptionem corporum.

17. Ad 3. Damascenus dicens demones transformari in quam volunt figuram secundum phantasiam significat demones transformari, assumendo corpora phantastica, nimirum corpora, quæ videntur humana, licet non sint humana, belluina, puta draconis, leonis &c. licet non sint draconis, leonis &c. Corpora nimirum, quæ videntur humana, & non sunt humana, dicuntur phantasmata. Ideo Apostoli Matthæi 14. & Marci 6. cum Christus noctu venisset ad illos ambulans super mare, dixerunt, *quid phantasma est*, nomine phantasmatis significantes corpus, quod videbatur humanum, cum non esset humanum.

18. Ad 4. Licet Lamia, de quibus loquitur Concilium Aquirense, videantur sibi multa videre, & plures regiones peragraré per solam immutationem phantasie, tamen non est negandum Angelos bonos, & malos sæpè hominibus apparuisse, & apparere etiam per assumptionem corporum, vt explicatum est.

19. Ad 5. Angeli assumunt corpora, non per informationem substantialem, neque per vnionem hypostaticam, sed per vnionem accidentalem motoris cum suo mobili formato ad representandam præsentiam, & proprietates Angeli assistentis. Et quia licet Angeli motores vniantur accidentaliter corporibus

celestibus, & demones vniantur corporibus energumenum, non vniuntur illis vt corporibus formatis ad representandum præsentiam, & proprietates Angelorum, ac demorum assistentium, ideo nec Angeli motores assumunt corpora celestia, nec demones assumunt corpora energumenum, vt dictum est numero 14.

QVAESTIO CXXXIV.

Qua virtute, & ex qua materia fiant corpora ab Angelis assumpta, & qualia sint: quoad figuram, & qualitates visibiles, & tangibiles?

1. **P**rimo videntur corpora assumpta non effici virtute naturali Angelorum assumentium, sed virtute Dei supernaturaliter operantis. Angeli enim non possunt mutare corpora, nisi per motum localem, & per accidentia, quæ consequuntur motum localem, vt dicitur q. 203. sed dum Angeli assumunt corpora, quæ videntur humana, talia corpora sunt affecta multis accidentibus, quæ non possunt consequi ex motu locali; ergo. Probatur minor: nam ex motu locali possunt quidem sequi figuræ, sed non possunt sequi colores, & alia accidentia corporis humani.

2. Secundo videntur corpora Angelorum non posse fieri ex materia aerea. Nam materia aerea non potest esse lucida; sed aliquando Angeli assumpserunt corpora lucidissima; ergo.

3. Tertio videntur corpora assumpta Angelorum fuisse quidem visibilia, sed non fuisse tangibilia, & palpabilia. Nam Christus Luc. 24. discipulis apparens dixit, *palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet*; sed nomine spiritus intellexit corpora phantastica; ergo corpora phantastica, qualia sunt corpora ab Angelis assumpta, non sunt palpabilia tactu.

4. Respondeo, quod cum ostenderimus Angelos assumere corpora, sequitur, vt explicemus, ex qua materia fiant talia corpora; qualia sint quoad figuram, & alias qualitates visibiles, & tangibiles; & qua virtute formantur.

5. Queritur igitur, primo ex qua materia fiant corpora ab Angelis assumpta?

6. Respondeo, quod aliqui, quos refert S. Bonaventura dixerunt corpora Angelorum fieri ex materia celesti. Durandus in 2. dist. 8. quæst. 1. docuit corpora Angelorum fieri ex aere crasso, qui cum densatur, apparet figuratus, & coloratus, sicut nubes, & hanc opinionem videtur docere Sanctus Thomas 1. parte quæst. 51. articulo 2. ad 3. Alexander 1. parte quæst. 34. membr. 4. & Albertus docuerunt corpora Angelorum fieri ex aere prout nunc est, ita vt corpora bonorum Angelorum fiant ex aere superiore, corpora demonum ex inferiore, & hanc opinionem videntur desumpsisse

Ecc

le